

eternis cruciatibus luere oportet, sine
 ulla spe secuturæ satisfactionis. ceterū
 ad hoc à filio Dei tibi exhibitū exēplū
 externa opera ex cordis fundo estimā-
 di, interest ut similiter tu de tuo Chri-
 stianismo judex sedeas. Quod si dixe-
 ris te in Christum tinctum esse, habere
 Dei verbum repurgatum, audire illud,
 accipere venerabile cœnæ Sacramētū,
 tum omnes Christianæ fidei articulos
 credere & confiteri: proindeq; abesse
 non posse quin omnia tua opera Deo
 placeant & salvandus sis (sic enim ple-
 rique omnes hodie censent istis modo
 dictis justitiā nostrā circumscriben-
 tes) sane non negaverim recte te argu-
 mentari, sed illud interim juxta cogi-
 tandum an cor cum dictis congruat.
 Absque hoc enim omnia meræ nugæ
 sunt & hypocrisis quia intus & in cor-
 de proba & lapis lydius consistit. Sin
 te Christianum jactas, nec cor factaq;
 cum nomine congruunt, sicut careas
 unctione Spiritus & fructib⁹ illius ve-
 rum Christianum demonstrantib⁹, ni-
 hil efficitur aliud ex cordis tui speci-
 mine & judicio quā PseudoChristia-
 num te esse. Neque enim sufficit tin-
 ctum esse, sed oportet insuper vivere

*Christia-
nismus
in corde
consistit.*

*Fructus
Baptis-
mi.*